Pro obſtinatione peccatoris, & peccato. Hieron.

catores, ſicut in inferno obnoxij tormentis. Ita D. Thom. in illud Pſalm. 9. 18. *Convertantur peccatores in infernum.* Cor lapideum habent: induruerunt ſupra petram. *Infernum ſuperiorem eſſe peccatum* (inquit Hieronym. in præſent.) *& inferiorem, locum pœnæ æternæ pro peccato.* Auguſt. etiam hic dupliciter exponit. *Vel duo inferna* (ait) *quorum in uno quieverunt animæ iuſtorum, in altero torquentur animæ impiorum. Vel fortaſſis apud ipſos inferos eſt aliqua pars inferior, quò traduntur impij, qui plurimum peccaverunt.* Hunc locum aliqui Ethnicorum vocabant Tartarum, ut vidimus ſupra n. 15. & 31. & Homer. *Iliad.* 8. v. 301. & ſic à Corn. Nepote ex Darete.

Quid Tartarus apud Gentiles?

Aut ipſum capiens obſcura in tartara mittam:
Sunt ubi ſub terris vaſtiſsima regna barathri
Ærea ſunt ibi ſepta, ſolumque ex ære: ſub ima
Tantùm tellure, hæc quantum quoque diſtat Olympo.

Daretes. Corn. Nep.

Vide plura, & ſelecta apud Natal. Comit. lib. 3. *Mytholog.* 11. Unde Lucretius lib. 4. de *Rer. nat.* v. 417.

Reſpectum præbet ſub terras impetè tanto,
A terris quantum cœli patet altus hiatus.

Lucret.

Purgatoriũ apud illos. La Zerd.

La-Zerda in 6. *Æneid. Virgil.* v. 608. n. 1. ſubdit: *Hìc ſcias ex Ethnicis, habuiſſe Tartarum, eo loco quo nos infernum: infernum verò, eo loco quo nos Purgatorium. Itaque cruciandi in æternum, ducebantur ex illorum doctrina ad Tartarum, purgandi ad Infernum.*

35 Pro veritate, & in literam optimè D. Thom. 3. *Sentent.* quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 2. *Quadruplex eſt* (inquit) *infernus. Unus eſt infernus damnatorum: in quo ſunt tenebræ in quantum ad carentiam divinæ viſionis, & quantum ad carentiam gratiæ; & eſt ibi pœna ſenſibilis: & hic infernus eſt locus damnatorum. Alius eſt infernus ſupra iſtum, in quo ſunt tenebræ, & propter carentiam divinæ viſionis, & propter carentiam gratiæ; ſed non eſt ibi pœna ſenſibilis: & dicitur Limbus puerorum. Alius ſupra hunc eſt in quo ſunt tenebræ quantum ad carentiam divinæ viſionis, ſed non quantum ad carentiam gratiæ; ſed eſt ibi pœna ſenſus: & dicitur Purgatorium. Alius magis ſupra eſt, in quo eſt tenebra quantum ad carentiam divinæ viſionis, ſed non quantum ad carentiam gratiæ, neque eſt ibi pœna ſenſus: & hic eſt infernus SS. PP. & in hunc tantùm Chriſtus deſcendit quantum ad locum; ſed non quantum ad tenebrarum experientiam.* Alijs terminis exponit Lorinus hìc, ſed idem ſonant. Modò in textum. *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori. Inferior* non per Pleonaſmum, ut indicat hìc Genebrardus: ſed pro inferno damnatorum accipiendus. David gratias & iurè agit Deo, eò quod iuſtè damnari poſſet tot flagitijs lethalibus commiſsis: & exultat quia eius Dominus tranſtulit peccatum, etſi non pœnæ reatum, quæ temporalis eius miſericordià, cùm deberet eſſe æterna; ita ut deſcenderet in infernum inferiorem, ſive in profundum inſani: & modò deletà culpà, & collatà gratià non deſcendet in locum damnatorum, ſed in PP. limbum: igitur ni pœniteret, & gratia iuſtificaſſet, in infernum inferiorem moriens deſcenderet. Eſſe in inferno dicitur homo, mortifero gravatus peccato, eſtò vivat: ita idem Pſalm. 114. 3. *Pericula inferni invenerunt me.* Inveniunt pericula, dum tentationes urgent: vita *appropinquat in inferno deorſum* (Eccli. 51. 9.) dum concipitur delectatione peccatum. *Dolores inferni circundant* (Pſalm. 17. 6.) dum aſſentitur peccato, quod conſummatum generat mortem, ut impœnitens anima, quæ iam in inferno peccati per crimen, deſcendat crucianda in infernum inferiorem. Ideo dicitur: *Cadet ſuperbus* (peccator impœnitens) *& corruet*; quippe pœnitentià non ſurgit. In peccato ſedet, in inferno ſuperiori exultat, ut in inferiorem quaſi ex lubrico deſcendat. Unde Bernard. ſerm. 1. in *Paſchat.* num. 16. *Redite* (infit) *prævaricatores ad cor, & toto corde quærite Dominum, & odite malum, pœnitentes non verbo, & lingua, ſed opere & veritate. Non ſatis cecidiſſe piget hominem, qui adhuc manere diſponit in lubrico.*

Quadruplex infernus. D. Thom. Pſal. 85. 13. *Infernus inferior propriè infernus.* *Cur peccatum infernus?* Ier. 50. 32. Bernard.

36 Hoccine gratiæ beneficio donatus, & divinæ clementiæ largitate benè meritus Pſalm. 93. 17. exclamat: *Niſi quia Dominus adiuvit me, paulominùs habitaſſet in inferno anima mea.* Hic eſt infernus inferior. Caiet. *A fovea inferiori.* Arabic. *De profundo inferni.* Eccli. ubi dudùm, verſ. 7. *De altitudine ventris inferi.* Varijs phraſibus apud profanos. Euripid. in *Alceſt.* verſ. 370. *E fundo ſolo.* Homer. 17. *Odyſſ.* verſ. 316. *Profundum in profunditatibus.* Plaut. in *Menæch.* Act. 2. ſcen. 1. verſ. 10. *Profundum in fundo.* Terent. in *Eunuch.* Act. 3. ſcen. 2. verſ. 36. *Infra infimos.* Senec. in *Hercul. furente*, verſ. 891. *Nihil ultrà iacet inferos.* Et verſ. 380. *Iuſſerat mundi penetrare fundum.* Ovid,

Infernus profundum, ultrà quod nihil.

Ovid. lib. 15. *Metam.* fab. 3. *Terra dum tollitur ima.* Stat. 3. *Silvar.* verſ. 702. *Viſcera terræ.* Virgil. 3. *Æneid.* verſ. 577. *Fundoque exæſtuat imo*, & 7. verſ. 91. *Imis Acheronta affatur Avernis.* Ita igitur deſignari ſolet profunditas, ultra quam nihil, & etiam hìc, num. 15. aſtruximus. Intelligitur modò, cur in novo teſtamento, ut ſignetur infernus, non ſolùm dicitur Gehenna, ſed Gehenna ignis. Locus hic erat profunditas in Valle filiorum Ennom, qui dicebatur Tophet, in quo idolum Moloch (diximus *Tom. 3. Tautolog. 4. num. 49.*) in cuius manibus adurebantur infantes. Quare ſumpta analogià à loco profundo & ignis cruciatu, infernus dicitur Gehenna ignis; quaſi non ſolùm vorago, & Avernus, barathrumque, ſed ignis; quippe plures voragines ſine igne, & hic ignis & vorago ſine exitu, imò æternus ignis: qua de cauſa Matth. 18. 8. 9. modò dicitur ignis æternus, modò Gehenna ignis.

Quid gehenna ignis.

37 *Conſtituet te Dominus in caput & non in caudam, & eris ſemper ſuprà & non ſubter.* Chald. *Faciet te Dominus fortem, & non infirmum & eris ſemper ſuperior & non inferior.* Reg. Complutenſ. *Imperabis tu gentibus multis, & tui non principabuntur.* Maluenda: *Et eris tantummodò ad ſupra, aſcenſioni in excelſum: & non eris ad deorſum inclinationi in declive.* Rabb. Ionath. *Eritis tantùm elevati non deſpecti.* Perſ. *Dabit te Dominus ſublimiorem omnibus gentibus terræ, & ſub te erunt.* Venet. *Et eris in ſublimi, & non in obſcuro.* Alia ſparſa in Litera. Ad mores ergo reliqua, ne deſcendamus cæcutientes in profunda.

Varietas Lect.

ADINATON EXEGETICUM.

Epilogus Excurſ.

1 *Eris ſuprà, & non ſubter.* Loca diſſita, ſed iungenda loca. Subter homines ſumus, ſuprà erimus: equidem aſcenſione Salvatoris in gloriam, erimus ſuprà, qui ſubter habitamus ſuper terram.

2 *Eris ſuprà, & non ſubter.* Subter & ſuprà videntur in Virgine-Matre, ex eius in cœlum admirabili aſſumptione: igitur quæ ſubter homines in orbe deplorabili terrarum, exaltatur in cœleſtibus ſuper choros Angelorum.

3 *Eris ſuprà, & non ſubter*, ſi dignum meritis munus; quippe in honore tunc honos: etenim ſi abſunt dignitatis merita, erit ſubter, quod eſt ſuprà, appoſitis fruſtrà pro munere meritorum, meritis à fortuna væſanà munerum.

4 *Eris ſuprà, & non ſubter*: ſuprà & ſubter eris, mancipatus ſub peccatis: etenim qui ſuprà exlex vivit in peccato, ſubter iacet in inferno.

5 *Eris ſuprà, & non ſubter*, conſtitutus *in caput, & non in caudam.* Sublimitas & inferioritas non pendet à loco dignitatis, ſed à meritis: eſtque caudà inferior, qui inſtar capitis dignitate ſublimior; quippe ſtolido elato per dignitatis inſignia, ut cognoſcatur plenè, deficit cauda.

6 *Eris ſuprà, & non ſubter.* Meritum extollet, demeritum ſubvertet: nec commutabuntur loca, niſi per merita vel demerita, præut dictat ratio, quin diſcernat affectio: igitur ſi affectioni vel leve datur iudicium, quæ ſurſùm, erunt deorſùm; & quæ deorſùm, collocabit ſurſùm.

DIDASCALIA PRIMA.

Dum Chriſtus penetrat cœlos, etiam ſuprema homines penetramus.

1 GYrum ſuum perfecit Iuſtitiæ Sol, quo relicta nobis ſplendidiſsima adhuc in tellure lux: equidem dum perfectus circulus, elevatum etiam terrenum corpus; ut homines ſurſùm ſint, quippe elevatus eſt Sol. Corona quæ debebatur triumphanti, ubi Roma de victoria plaudebat; ſervus portabat. Vide Orozzium *lib.* 1. *cap.* 34. & Roſin. 10. de *Antiq. Roman.* cap. 29. Ecce quid nobis victor mortis Chriſtus attulit, dum mortem vincendo pertulit: igitur nobis in cœleſtibus data corona, cum ab illo uſque ad deliquium ſanguinis commiſſa pugna.

Corona triũphantis data ſervis.

Ingrediturque globum Lunæ, lumenque reliquit.
Hinc Phœbi permenſus iter, flammamque lucentem: Claudian.

Ma-

Machina laxatur cœli, rutilæque pateſcunt
Spontè fores.

Inquit aliò Claudianus Honor. Paneg. in 3. *Conſul.* à verſ. 164. Aſcendens in altum, calcatis ſideribus, dat dona hominibus: igitur cùm ſervi portent diadema, nactum in parta victoria; ex Chriſti glorioſo aſcenſu, etiam planduntur in triumpho: quippequàm ſervis per libertatem donatam, patet ingreſſus in gloriam.

Glorificatur humana natura Chriſti gloriâ.

2 Canit Pſaltes Regius. Iacebant homines deorsùm, iam verò elevantur ſursùm. Sed unde Domine mi? *Quoniam gloria virtutis eorum tu es.* Dominum gloriam hominum eſſe, conſtat perſpicuum; verùm latet, quomodò ſit gloria virtutis eorum. An cùm gloria virtutis ſit, virtutem operari ad maiorem propter ſolam gloriam Dei? Aliud autumo diſcrimen ac differentiam inter virtutem gloriæ, & gloriam virtutis ad gloriam. Virtus gloriæ eſt in gratia: gloria virtutis in aſſumpta ad cœlum Chriſti natura: diciturque meditanter gloria virtutis, cum virtus gloriæ iam eſſet iuſtificatis; quia licèt haberent gratiam, ſine gloria virtutis non evolarent in gloriam: ſiquidem haud ianuas ingredi quibant cœleſtes, ſine gloria virtutis Salvatoris. Quùm cœlos ſcandit, huiuſmodi dona dedit, ſive hominibus ablata reſtituit. Innuit Lanctantius Firm. Epigram. de *Phœnice*, verſ. 160.

Pſal. 88. 18.

Finis virtutis ſit Deus.

Eſſet nemo, ni Chriſtus eſſet in Empyrio.

Sed poſtquàm puri pervenit ad ætheris auras,
Mox reddit iſta ſuis.

Lactant.

Olim antequàm homo laberetur in originalem culpam, habebat ad cœleſtia portam patulam, quippe potiebatur gloriæ virtute in dono gratiæ, & ſimul virtutis gloriâ, perviâ ianuâ ſine obice. Poſtquàm iacuit legis latæ rumpens vincula; clauſa prorſus petentibus ianua, etſi dono cœleſtis omninò gratiæ gloriam nanciſcerentur in virtute. Haud aſcendere quibant in cœlum, quin reſtitueretur iacenti naturæ donum: & aſcendens in altum Chriſtus reſtituit, ubi gloriam virtutis naturæ reddidit; quoniam natura humana ex virtute gloriæ Chriſti, ingreſſa in gloriam calcavit culmina cœli.

Virtute gloriæ Chriſti calcavit ſuprema cœli.

3 Teſſera triumphantibus corona, ita ut nullus poſſet ingredi in Circum ad plauſum; qui ex triumphatore caput, non haberet ridimitum: coronàque cognoſcebantur, nè à cuſtodibus Circi ingreſſus impedirentur, & ſimul ſederent ſigno, in templo ſeu Capitolio. Conſule Bulenger. de *Imperator. Rom.* lib. 3. cap. 8. Panvinium de *Triumph.* & Roſin. ubi ſupr. Modò intelligitur, cur ſine corona, qui ſedebat in maieſtate ſedis; & ſeniores videntur ſedentes & cum coronis? *Sedilia viginti quatuor, & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* Diximus *Tom. 2. Taut. 8. Didaſc.* 7. à *n.* 11. per oſtium in cœlo apertum, & ſeniores ſedentes, ſignari homines in cœlo triumphantes, oſtio pervio triumpho inſigni Salvatoris: equidem ſedes non eſſet in maieſtate ſedis, ſine gloria reſtituta virtutis: & ille primus oſtium aperiret, ac maieſtate ſederet. Sedit ſanè, ſed non ſedit ſolus; igitur cum illo & in illo & ex illo totius humanæ naturæ triumphus. Sine corona triumphantis, cuicui ingreſſum impedirent cœli cuſtodes: & qui meruit (quapropter ſupremo ſedit in ſolio) triumphi coronam non habet; quippe diadema ſervis, ut poſſent ingredi, dedit: etenim admiſsi intra regiam cœli; quia in capitibus eorum coronæ aureæ. Teſſera in triumphum erat triumphantis corona, unicuique collata iuxta merita; ſed pridem non poterant aſcendere, quippequàm inſigne defecerat ſine duce: unde ex gratia pro præmio conceſsa gloriâ virtutis;

Homines comites triumphi Chriſti.

Apocal. 4. 4

Quæ dona eis dedit?

Omnis quam chorus, & ſocij comitantur ovantes.

Virgil.

4 De templo Iovis Pulverei refert Pauſanias in *Attic.* cap. 38. ex quo Natal. Comes lib. 7. *Mytholog.* cap. 16. ſine tecto fuiſſe. Templum ſine tecto indicat in cœlum iter: maieſtatem ſummam Iupiter: pulvis momenta naturæ humanæ, cuius pretium conſtat pulvere: templumque verſus æthera patet luminibus ſine tecto; ut clareat quantum interſit in cœlum propria cognitio: igitur recto tramite dirigit iter in cœlorum cacumen, optatam ſublimitatem; qui magnitudinem propriam redegerit uſque ad pulverem. Iupiter Deus magnus credebatur à Gentilibus: diciturque *Pulvereus*; ut Catholici munere tanto dignati experiantur veritatem, extra & ultra Gentilitatis fictionem: equidem etſi Filius Dei, Deus magnus ſuper omnes Deos, qui deſcenſu è cœlo cœlum præparavit hominibus; nullatenùs hi haberent iter in faſtigoſam cœlorum elevationem, niſi ille è cœlo deſcendiſſet uſque ad pulverem. Tectum erat in templo, quin ultra tectum poſsit animæ tranſilire ſuſpirium: ut venit in pulverem, penitùs deſtruxit fornicem: patuitque gementibus hominibus cœlorum regia, ex quo Filio Dei unita no-

Templũ Iovis Pulverei ſine tecto.

Pauſan.

Utilis cognitio ſui.

Homo in cœlum non aſcenderet, ni filius Dei deſcendiſſet.

ſtra pulverea natura. Iam cœlorum videt aulas, ex quo

Deus humana luſtrat ſub imagine terras.

Ovid.

Etenim cùm templum nequaquàm haberet tectum, aperta ianua cœlorum.

5 Unde dictus *Pulvereus*, refert Natalis Comes ibid. *lib.* 5. *cap.* 1. *Olympicum ludum ubi Hercules inſtituiſſet, dicitur omnes volentes ad palæſtram provocaſſe; quò nemo cùm prodire auderet, fama eſt, Iovem in palæſtritam converſum, cum Hercule fuiſſe colluctatum. Cùm verò pugna diù anceps fuiſſet, Iupiter, qui eſſet, ſe oſtendit.* Unde illi redeunti in cœlum, templum dicatum, ſed quod non haberet tectum. Habet in veritatem fabula ficta locum. *Propter Dominici corporis meatum* (in loco Chriſti Aſcenſionis, quo ſtructa Eccleſia magnifica ab Imperatrice Helena, uti vidimus *Tom.* 3. *Tautol.* 9. *Didaſc.* 2. *num.* 2. ex Hieronym. & Adrichom.) *Cacumen templi nullo modo contegi potuit; ſed tranſitus eius de terra ad cœlum uſque patet apertus.* Dominabatur viribus fidens, antiquus Dei, humanæque propaginis hoſtis, exercens tyrannidem & etiam atletas redigens in ſervitutem, ut portaret in barathrum, quippe cœli clauſum oſtium. Miſertus, qui fecit hominem; ut aperiret cœlum, deſcendit in pulverem. Palęſtrita patuit, ſeſe qui erat, humanitate occuluit, quouſque hoſtem in arena proſtravit: & quo loco cœlum aſcendit, veſtigia pedum reliquit, & exitum ſine tecto vel in templo deſignavit; ut homines ex gloria virtutis, qui eſſent in terra, triumphantem ſursùm, ſequerentur ad gaudia.

Natal. Com *Unde Iupiter Pulvereus.*

Hieronym. *Templũ Olivetanum ſine tecto.*

Sed Chriſti impreſſo veſtigio.

6 Vincti erant dæmonis tyrannide & morte: morte eduxit vinctos in fortitudine; ut comitarentur in gloriam, quorum fregerat catenam, iter ei facientes in triumphum, qui aſcendit ſuper occaſum. Dominus in templo ſancto ſuo: Dominus in cœlo ſedes eius: cæterùm iam minimè ſolus in triumpho: quippe Dominus cum eis etiam habitat in Sancto, excitante victoriâ feſtivitatem, ob ſingularem Salvatoris ovationem. *Curris Dei decem millibus multiplex millia lætantium.* Unde ergo tantus plauſus, ſi torcular paſsionis calcavit ſolus? Unde tot millia millium lætantium, triumphalem ſequentium currum? *Viderunt ingreſſus tuos Deus, ingreſſus Dei mei, regis mei, qui eſt in Sancto*: accinit etiam dignatus David. Nemo noverat veſtigium in gloriam, quippequàm neſciebant ſemitam; & aſcendere nequibant, quanvis ſcirent, ex mundo; quoniam nemo in cœlum aſcendit, niſi qui deſcendit de cœlo: ſine ductore iter omninò impervium, equidem in cœlum ſursùm: Chriſtus triumphans aſcendit, veſtigia in aſcenſionem reliquit: & ſecutus eſt millium millium militum lætantium currus; quoniam Dei Salvatoris & regis coràm viderunt ingreſſus. Arcta ſanè porta, quaſi non iter ſed ſemita in regiam occluſam cœli: & Salvatore aſcendente, altiùs attolluntur portæ, quippequàm ingrediuntur viſuri pulchritudinem urbis, etiam in curru triumphantes. Iam currus inſigne plauſus, quò non aſcenderat ullus. Ingreſſus hominibus patent, ubi Salvatorem ſursùm aſcendere vident. Claret in mundo militantibus ad ovationem introitus: igitur aſcendit pandens viam orbis cœleſtis ante eos; ut veſtigia ſequentes, etiam in curru triumphali, gloriæ fulgerent conſortes: curruſque lætantium claret, quùm Chriſtus cœlum aſcendit; equidem homines terrei optatâ potiti gloriâ, quippe ſecuti ad amuſsim, quæ reliquerat veſtigia.

Pſal. 67. 18.

Verſ. 25.

In cœlũ homines ſecuti Chriſtum.

7 *Dei mei, regis mei, qui eſt in Sancto*: id eſt, in Cœlo, uti hìc obſervat Genebrardus, ſubdit Propheta Regius. *Mei?* Quorsùm, dum Chriſti refert aſcenſum? Exprimit communem gloriam, & erga homines dilectionis Chriſti flammam, dum propriam dicit, quam gloriam in Chriſto reſpicit: equidem illam uſque ad ſanguinis effuſionem acquiſivit; ut in cœlo hominibus glorioſè communicaret. *Eris ſupra, & non ſubter*, dicitur à Moyſe. Subter homines ſumus: ſuprà erimus: gloriaque Chriſti propria dicitur humanæ naturæ, in eius admirabili aſcenſione; quoniam ægrè ferret amor, homines ſubter ſtantes, non collocari ſuprà cum illo participes beatitudinis. Oſtium profectò in tellure degentibus impervium; & modò currus ex ovatione lætantium? Utique: deſcendit è cœlo in pulverem, ut in cœlum veſtigijs eveheret hominem; templo Oliveti permanente ſine tecto, ubi porta patula iam in Empyrio: unde ingreſſus currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium; quia ad Olympum viderunt oſtium apertum. Hàc itur ad aſtra, ubi Salvatoris & hominum ſumma gloria: igitur eius aſcenſu, cœlorum

Ibid.

Gloria Salvatoris, totius generis humani.

Deut. 28. 13

Deſcendit de cœlis, ut illuc abduceret homines.

Dividimus muros, & mœnia pandimus urbis:
Apparet domus intùs, & atria longa pateſcunt.

Virgil.

8 *In domum Domini ibimus*: præ gaudio exultans clamat David. Unde pi-

Pſal. 121. 1. 2.

gnus huiuſmodi in cœleſtem Ieruſalem feliciſsimi ingreſſus; ſi propter tenebras obices, & privationem luminis, *pedes ſtabant in atrijs*? Ex alluſione templi (cœli typi, in quo velum expanſum dividebat occulta Sancta-Sanctorum, quà & quò ſemel ingrediebatur Summus Sacerdos, reliquis in atrio ſtantibus) erigitur in Ieruſalem cœleſtem, ac Chriſtum Summum Pontificem, qui penetravit cœlos, ut homines in cœleſtibus haberet ſocios. *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per*

Hebr. 9. 11.

amplius & perfectius tabernaculum:.. per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta, æternà redemptione inventà: dicit Paulus. Vidimus ſanè ingreſſus regis noſtri, qui eſt in Sancto. Qua igitur arte videntes illius ingreſſus, ex atrijs Sanctuarij in domum Domini ibimus? Simulatque Chriſtus in cruce tradidit ſpiritum;

Marc. 15. 38.

velum templi ſciſſum eſt in duo, à ſummo uſque deorſùm. Recondita erat in Sancto-Sanctorum gloria, quam propter velum expanſum humana haudquaquàm videre

Et illis aperiret regna cœlorùm.

quibat natura: & ex atrijs mirificè tranſlati fuimus in interiorem domum; quoniam velum, quod obex, omninò exciſſum. Per proprium pretioſum ſanguinem, invenit Salvator ſubditis mirabilem redemptionem. Ex eius ingreſſu in Sancta-Sanctorum, pendebat noſter ingreſſus in cœlum: & modò hominibus, vel in atrijs patet gloria; quippequàm velum ſciſſum, ex quo ingreſſus eſt in Sancta. Porta Sancti-Sanctorum non erat oſtium, ſed velum à ſummo culmine expanſum uſque deorſùm: oſtiumque homines inveniunt in cœleſtem beatitudinem, quoniam diſruptum omninò verſus latera velamen.

9 Inſtandum cogitationi. Non fuit in gloriæ oſtenſione, quod expanderat Adamus, contractum velum; ſed à Salvatore

Sine obice ullo.

illuc ingrediente ruptum. Si poſſet contrahi, poſſet etiam denuò expandi: & velum expanſum Salvator non contraxit, ſed prorſùm pro gloria hominis dirupit; ut ſemper pateret gloria, ſemel factà ab illo vià: etenim rupto, ſciſſoque velamine; quà ille ingreſſus in gloriam, poterat ingredi; quippe penetrans ſphæras orbium cœleſtium, nec reliquit velamen in oſtio

Claret per via cœli ianua.

Sancti-Sanctorum. Non ſolùm Chriſtus aſcenſurus in cœlum, ſed relicturus erat ad aſcenſionem veſtigium; quippe ut exemplar in exemplum ſcandit, ut homo in cœlo ſimul cum illo ſederet; non tantùm beatitudinis ignota porta, ſed via: & dum pertranſit in Sancta, velum ab illo diſrumpitur; ut homo, quà ingrediebatur, in gloriam ingrederetur. Sancta-Sanctorum ſignant lucidiſsimum Empyrium, cui ab originaria labe velum expanſum; quod quaſi tectum templi Ieruſalem militantis, & ſimul habitantis in atrijs, ſivè veſtibulis. Aliquando qui longè, propè acceſſuri; nimirùm Chriſti tangente culmina cœli: & qui in atrijs ſtabant, in domo Domini regnant; quoniam in ſummæ felicitatis aſcenſum, tectum penitùs ſubvertit, ducens in Sancta-Sanctorum. Pridem difficilis introitus in regiam gloriæ cœleſtis, igitur *ſemitam ignoravit avis.* Modò in domum

Iob. 28. 7.

Domini ibimus, contemplantes ubi ad volatum ſteterunt pedes eius: etenim cùm viam demonſtret, ſine velo domum ſignet; anima alis per æthera ſecat, quia ſemitam in Empyrium, Chriſto duce, non ignorat. Iam qui terrenæ domus, cœli aſpicimus celſitudinem: feſtinemus ergo ingredi in illius requiem & cœleſtem civitatem: igitur templum pro mirabili triumpho iam apparet ſine velo.

10 *Expedit vobis, ut ego vadam*: dixit Aſſertor diſcipulis mœſtis, horà appro-

Ioan. 16. 7.

pinquante mortis, qua velum ſcindendum, & videnda quæ occluſa Sancta-Sanctorum. *Vobis.* Non expedit illi? Sanè, ſed

Charitas Chriſti quã ſolicita pro hominis gloria!

hæret amori: igitur cùm ex illius ingreſſu, hominibus emanet optabilis beatitudo; haud ſatagit futuræ gloriæ, præut ſibi; ſed præut acquiſita à ſe, expedit naturæ humanæ. Mihi labor, vobis honor. Modò habeatis, propter quam de cœlo deſcendi, beatitudinem; etiam crucis non recuſo laborem: equidem amore ductus, etſi laboribus preſſus, ſtudioſè conſulo collatione dignitatis, tantùm quod expedit vobis. In gloriam per crucem dirigo viam: expedit vobis, ut ego vadam ad gloriam. Sine me nihil poteſtis facere, neque ad gloriam in cœlum aſcendere: nemo ex vobis interrogat me, quò vadis: & quòd ego vadam, ſanequàm expedit vobis; quippe ni aſcendam, ſurſùm non habebitis veſtigium, & invenietis ſaxò velum expanſum. Expedit profectò vobis, in ingreſſum perpetuæ felicitatis: igitur ſequentes ingredientis veſtigia, ſciſſo velo tranſibitis uſque in Sancta.

11 Perpendantur verba. Totus conatus in huiuſmodi anfractu dignitatis, eſt (ait philanthropus Ieſus) *ut ubi ſum ego, & vos ſitis: & quò ego vado ſcitis, & viam ſcitis.* Difficile videtur aſſeclis, unde Tho-

Cap. 14. à verſ. 3.

mas illicò: *Domine, neſcimus quò vadis, & quomodò poſſumus viam ſcire?* Quo pacto

ſciunt,

Verſ. 5. Alapid.

ſciunt, & neſciunt? *Sciebant confusè, neſciebant diſtinctè*: ait Alapide. Sciebant ire in cœlum, ſed non quà eundum. Scie-

Nacta, ex quo Chriſti ſecutus veſtigia.

bant *quo*, ſed non *qua*; quippe porta clauſa fuit: & dicit eis meditanter, *expedit quòd ego vadam*; ut in cœleſtia diſtinctè poſsint cognoſcere viam: quandoquidem ſi *ſemitam ignoravit avis*, in penetrationem ætheris; cognoſcit diſtinctè introitus, ex quo regis triumphantis vidit ingreſſus.

Enallage in Script.

Magis genuinè, quippe favente literà, per Enallagen exponenda celebris Antilogia. Aliquaddo tempus præſens pro futuro in Scriptura, uti obſervavimus ſæpe. Unde ſenſus actoritatis: *Quò ego vado ſcietis, & viam ſcietis*: quapropter cap. 16. 5. poſt tractum longæ diſſertationis, Chriſtus dixit illis: *Nemo ex vobis interrogat me, quò vadis?* Si ſcirent, interrogatione prorſùm non indigerent: nec dixiſſet Thomas: *Domine, neſcimus quò vadis, & quomodò poſſumus viam ſcire?* Modò ergo in Didaſcaliam, ut Chriſti & noſtram contemplemur gloriam.

12 Thomas & cæteri neſciebant, quomodò in cœlo manſiones habendæ & throni; & etiam quà hinc illuc in poſſeſsionem ituri. Promiſit Chriſtus ſecum ſeſſuros in

Via ignota iam hominibus manifeſta.

cœlo, cùm gloriæ gauderet throno: *Ut ubi ſum ego, & vos ſitis*: modò viam neſcitis; ſed ſcietis: quòd ego vadam, proculdubiò expedit vobis: equidem, ni præcedam, nullus intrabit in gloriam. Scietis, cùm intravero in Sancta, ubi cœli ſtabat porta: quippequàm diſrumpam velum, ut diſcipulis pateant Sancta-Sanctorum. Nunc iter ignoratis, poſteà ſcietis: quandoquidem iter tritum in cœlum, cùm Aſcenſio-

Verſ. 6.

nis videritis veſtigium. Hinc ſubdit: *Ego ſum via*: via eſt, quà itur: & dum in cœlum aſcendit, via cæteris deſignatur; quoniam per Chriſtum in cœleſtia aſcendentem, quaſi per viam, qui in terra degunt, ingrediuntur in gloriam. Vident ingreſſus Dei & regis, qui eſt in Sancto: & patet in gloriam aditus, quippe ſequuntur ingreſſus. Hac de cauſa extremò ſubdit: *Nunc*

Cap. 16. 5.

vado ad eum, qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis. Interrogaverunt, quod pridem neſciebant; modò, dum ad Patrem vadit, quod neſciebant, non ignorant: unde nihil inquirunt de via, ac itinere in cœlum; quoniam illius aſcenſione viderunt patulum oſtium. Ubi eſt Redemptoris corpus, congregabuntur & aquilæ, in æterna beatitudine: equidem ſi hìc in atrijs templi ſtamus, & illic habemus pontificem, qui penetravit cœlos; ſanequam in domum Domini ibimus. Non ſolùm dicitur intrans in Sanctuarium, Pontifex præſentium, ſed *futurorum bonorum*: equidem non ſolùm animæ ex eius aſcenſione præſens gloria; ſed corpori etiam futura: de quo *Tom. ſeq.* Hoc ſanè intuitu non illicò in cœlum poſt reſurrectionem aſcendit; ſed per quadraginta dies glorioſo corpore apparuit: igitur cœli ianuis reſeratis, & obicibus remotis, oſtendit quomodò carnis glorioſà præſentià, vivificabit in cœlum mortalia corpora noſtra. Accinuit, neſcio quo numine, Claudianus ubi ſuprà à verſ. 105.

——— Iam libertate reductà,
Quanvis emeritum peteret natura reverti
Numen, & auratas aſtrorum panderet arces, Claudian.
Nutaretque oneri venturo conſcius Atlas,
Diſtulit Auguſtus cupido ſe reddere cœlo,
Dum tibi peccatum præſenti traderet orbem.

DIDASCALIA II.

Vel in cœlis elucet incomprehenſibilis gloria coronationis Virginis-Matris.

1 IAm ergo, ut in Serm. de *Aquæduct.* ait Bernardus, ubi *terra veneratur memoriam, fœcundæ Virginis amplectitur cœlum præſentiam*; ut pateret in terra nova cœlum novum ſingulari maieſtate, & ſimul appareret Do-

Bernard.

mino cœlum cœli: igitur ſi terræ virgineæ ſedes iam erat in cœlo; cœlum Domini exaltata micabat in cœlo Virgo. Iam regnabat ſuprà, quem lactavit infrà: & quoniam cœlum illam invênit filius in terra; terram illius cœlum etiam efformavit in gloria.

Cœlum Domino Virgo in cœlo.

Cuius ab uberibus magnum ille aſcendit Olympum: Manil.
Hanc ergo æternis meritò ſacravit in aſtris
Dominus & cœli cœlum mercede rependit.

Quod *ſuper* ſuprà, quod *ſubter* infrà: *cœlum ſurſùm, & terra deorſùm*; phraſis uſitata in Sacra pagina, uti vidimus in Litera. Vidimus in Verbi incarnatione cœlum deorſùm: videndum aliud miraculum, nimirùm quòd terra ſurſùm: & quod conditione ſubter miramur ſuprà, ubi corpus Matris Dei exaltatur ſuper aſtra.

Deut. 4. 39. 28. 13.

Et terra ſurſùm.

Vv Non

2 Non priſca fides limitem poſuit fictionibus, pro commendandis numinibus: equidem cùm prodigia non haberet; neceſſe ſanè, quòd fingeret. Ex Alcmena natus Hercules, qui mundum vicit, infernum ſpoliavit, atque mala Heſperidum, dracone extincto, reſtituit; mortuus inter ligna, igne flagrantia, ex quo in Numen elevatus, matris ſic demulcens queſtus: quandoquidem ſi ex terra habuit genitricem, è cœlis habebat patrem.

Iam parce mater queſtibus. Quicquid in nobis tui
Mortale fuerat, ignis iniectus tulit:
Paterna cœlo pars data eſt, flammis tua.
Virtus in aſtra tendit.

Senec.

Ita Seneca in *Hercul. Oetæo*, à verſ. 1962. Vide dicta *Tom.* 2. *T.* 6. *num.* 12. Et Natal. Comit. lib. 7. *Mitholog.* cap. 1. Mortua etiam eſt Alcmena, atque in ſepulchrum elata, poſtquàm corpus aromatibus conditum, implevit divitem loculum: ſed *ferunt Alcmenæ funus cum efferretur, cadaver eius evanuiſſe*: infit Plutarchus in *Romul.* Referens ridet fictionem, igitur ſubdit: *Fabulam præter fidem.* Idem refert Pauſan. in *Bœotic.* ſeu cap. 294. Taceat igitur ad huiuſmodi glorias, à veritate ſuperata vetuſtas: igitur ut ait vel Ethnicus:

Corpus Alcmenæ in funere evanuit.

Plutarch.

——— Longæva vetuſtas
Cuncta ſitu involvens, & res & nomina delet.

Lucret.

3 Iam fidem tractus mirabilis habet, cùm cœlum Salvatoris matrem dignatum reginam recipit. Draco, quæ homo perdiderat, mala pulchra Heſperidum cuſtodiebat, trudens homines in tartara ab originaria culpa. Ex quo infelix tranſgreſsione corruit; Filius Dei, qui erat in cœlo, decrevit, ex Virgine, quæ futura mater, ſumere carnem; ut homo à ſervitute liberaret hominem, habens in cœlo ab æterno patrem, & ſolummodò in terris pro tempore genitricem. Mortuus eſt in ligno (qui in ſplendoribus Sanctorum genitus in Patris cœlo) magis flammis amoris, quàm crucis innatis pœcenis, ex qua in terram ignis incendia mirifica, ut in cœlum flagrarent hominum corda. Quanvis diſpendio vitæ, nacta laurea novi triumphi, cùm ſpoliatione tartari: ſiquidem & vectes ferreos confregit, & vinctos in libertatem eduxit, & glorioſo corpore, & non viſà illud uſque maieſtate, obvia hominum oculis, quæ latuerat gloria, ex primo conceptionis inſtanti intra viſcera materna. Fructum aurum ex paradiſo expulſis glorioſè oſtendit, iter in cœlum ſignavit; & poſtquàm cuncta hominibus in cœleſtia properantibus monſtraverat, ut acciperet coronam, eſt reverſus unde venerat. Illic thronum præparavit, quo genitrix in perpetuum glorioſa quieſceret; addito cœlis decore ex miraculoſo funere. Expiravit namque flammis, præ amore æſtuante corde in fornace viva pectoris. Conditum aromate Apoſtolatus cadaver in loculo ſepeliendum diſpoſuit; verùm ex ſepulchro cadaver Virginis-Matris evanuit. Eſt ultra fidem? Nequaquàm. Iuxta matris dignitatem. Rapuit in cœlum æmulus cœlum, quod cœlo dignum. Dum Deipara cœlum aſcendit, ſola anima non intrabit. Ut ſit ſuper, è ſepulchro evaneſcit cadaver. Corpore & anima ingreſſura in gloriam, gloria generis, quæ, quandiù vixit, illuſtraverat terram: equidem cum iuxta dignitates, conferat cœlum honores; in funere ſingularis debuit eſſe, quæ nihil habuit commune: illius tabernaculum totum omninò irradiabit lux, quæ Virgo in cœlum adibat, uti virgo & mater Dei. Abſorpta eſt mors in victoria. Ubi eſt mors victoria tua? Quo pacto laberetur in Parcam, quæ vitæ per eſſentiam dedit vitam? Minimè decus, quòd videret trophæum mortis, nacta dignitatem Virginis-Matris. Ut conſtet cœlo, evaneſcit cadaver in ſepulchro. Congruebat genitrici ſupremus in micante Empyrio locus; cui ſubiectus totus mundus: & totam matrem aſſumeret, propter quam ad terras uſque, ut fieret homo, deſcendit. Aptum etiam corpori cœlum, & ſummum, cui extra cœlum nihil aptum, neque dignitati dignum.

Triumphus Chriſti ex cruce.

Mater Virgo triumphat corpore glorioſo.

O decus excellens! O fœmina fama ſalutis!
Cuius honore ſacro genitrix tranſcendis Olympum.
Et ſuper aſtrigeros erigis ora polos.

Venant.

4. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus*: ait David. *Omnis gloria?* Quænam omnis? Quæ Virgini filiæ regis. Eſt gloria, qua ante corpus potitur in cœlis anima; & etiam corporis gloria, quatuor dotibus ornati, animà ſimul gaudente muneratà beatitudine: cunctæque gloriæ in aſſumptione Virginis ſignatur ambitus; quoniam cœleſtis gloria etiam fuit extenſa ad corpus. Si non omnis quæ eſſe quibat; Virgini non congruebat: corporique & animæ ſimul conceditur gloria, elevatis ſuper ſidera; ut omnibus civibus in cœlo pateret omnis, iuxta dignitatem ſummam & honorem genitricis. Gloria animæ in pulchra regina cœli, eſt planè ab intùs. Gloria corporis, quaſi in fimbrijs aureis, ducitur ex gratiarum

Pſal. 44. 14.

In cœlum dum ſumitur, omnis gloria cur videtur?

rum varietatibus, excedentibus univerſi venuſtatem & gratiam, iuxta collatam ſingularem gloriam. Ergo ſi glorioſum in cœlis Virginis corpus; perſcrutanda modò omnis gloria filiæ regis ab intùs; ut eluceat qualis anima, ſurgens ad æthera ex terra. Quò igitur pro voto eundum? Unum ſanè neceſſarium. *Unum unius Dei intuitus*: ait Caſsianus *Collat.* 1. cap. 8. Hæc eſt totius gloriæ ſummitas, atque beatitudinis felicitas: igitur hoc uno ſatiatur anima, dum apparet illi gloria. Sequuntur animam iuxta numerum in via trium theologarum virtutum, trium in patria pretioſa momenta dotium: queis Deo gaudibunda potitur, & ſimul beatificatur, præventa benedictionum dulcedine, divite lumine gloriæ. Dotes ſunt *Viſio*, *Fruitio* & *Comprehenſio*, iuxta DD. Scholaſticos cum D. Thoma, 1. *p. q.* 12. *art.* 7. ad 1. & *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 4. *art.* 5. *quæſtiunc.* 1. in corp. alijſque locis. Hæ ſanè dotes, ut ibidem aſtruit Angel. Magiſter, reſpondent fidei, ſpei & charitati. Viſio Deitatis reſpondet fidei: comprehenſio divinæ eſſentiæ, ſpei poſſeſſione vacuæ: demùmque fruitio immenſæ feliſsimæ naturæ, flammis ignovomæ charitatis. Si hoc neceſſarium in gloria, micat quam habet Maria: equidem nulla creatura, eſtò ſublimior Seraphica, ampliore iure, felicitate uberiore, Deum videt, potitur, atque comprehendit. Deſcribere intenſionem ac extenſionem dotium harum, ni munus cathedræ, Didaſcaliȩ eſſet propoſitum: verùm non facile definire, quod nequit etiam Angelus comprehendere. Homines, ſi Angeli tacent, quid dicent? Si gloria Virginis hìc hominibus exponenda conditione humanà, quomodò aptè oſtenderetur tanta gloria? Viam demonſtrat Angelicus Doctor, in 2. *diſt.* 9. Hæ animæ glorioſæ dotes in æternitate beatitudinis, reſpiciunt trinam potentiam rationalem hominis. Viſio reſpondet intellectui, fruitio voluntati, comprehenſio memoriæ. Si homines ſibi complacent de gloria Virginis, illam mirantes in ſolio ſuperioris maieſtatis; videndum, quo ingenio gloriæ plenitudinem indicant, quùm in eius encomium potentias dedicant.

Caſsian.

Dotes animæ glorioſæ.

Queiſnam virtutibus ac potentijs reſpõdeant?

5 Viſionem plenam atque perfectam obiectæ Virgini Deitatis, conatur dicere mens paſsim cæcutiens hominis. Verùm quid dicit? Finxit Antiquitas ita uberes Pandoræ gratias & dotes; quòd mirabiliter vel Deorum ſuſpenderent intellectum, uti naturæ miraculum; in quo vis atque virtus omnium Deorum. *Dicta eſt Pandora, quaſi omnium donum, vel omnium rerum*: inquit Natal. Comes lib. 4. *Mytholog.* cap. 6. Vide quæ diximus *Tom.* 1. *T.* 6. *num.* 1. Ut extremum pulchritudinis atque ſumma perfectionis, in hoc orbe plaudebatur à cunctis, digna profectò cœlo, ad quod Dijs præſentibus elevata eſt pulchritudo. Mercurius invitatus ad munus ſublime aſſumptionis, abfuit; ſed magis Pandoram extulit. Conſule Lucianum in *Prometh.* Cur ergo Mercurius renuit aſsiſtere, qui de occaſione ſibi quibat gratulari? Si per illum exprimitur intellectus, plauſus Pandoræ intellectionis adæquatum munus: verùm refugit officium, quoniam fœminæ primæ dotes ultra intellectum. Cunctis cœleſtibus erat gloria gloria Pandoræ, præmijs inſignibus reſpondentibus gratiæ. Intellectus ſolummodò quibat deſervire plauſui: illeque ſtudio removetur à munere; quippequàm gloriam præſpexerat in Pandora, dotibus cœli regina, quam exprimere non poterat cœleſtis intelligentia.

Natal. Com.

Pandora quæ?

6 *Panis intellectus* plauditur deſcendens de cœlo Chriſtus in ſacramentum auguſtum: imò panis cœleſtis ultra intellectum; igitur in captivitatem omninò redigimus, ut aptiùs quæ intelligimus, intelligamus. Si eſſet è terra panis, eius excellentiam auderet promere facultas intellectionis. Veniente è cœleſti ſphæra, iacet ſublimior hominis intellectio limitata. Neceſſarium erat inter tot prodigia non comprehenſa, demonſtrare prodigia: & cùm cœleſtia comprehenſionem fugiant, quippe incomprehenſio excellentiam demonſtrat; intellectus expreſſit, quin exprimeret: igitur cognitioni excellentiſsimum eſt, quod ex ipſa cognitione cognoſcimus ſupra nos. Dialecto noſtrà: *Explicòſe ſin explicarſe el diſcurſo, ſabiendo que el pan era una coſa del Cielo.* Claret intellectionis eſſe panem; ſed latet, quo pacto erit ſupra intellectionem. Aſtruitur profectò quod negatur; & negatur quod aſtruitur. Si intellectioni humanæ proportionatur ſublimis de cœlo panis, quare extra humanæ ambitum intellectionis? Si cognoſcenti commenſuratur etiam ſpecie viſibili, qua de cauſa incognoſcibilis proponitur cognitioni? Ita propter arcana humanæ intellectioni ſublimis cœleſtis cibus; quòd eius intelligentià amittatur intellectus. Quantunvis eius gloria concipiatur ut ſuperior, adhuc ipsà ſuperiore intelligentià maior; quippe plus cognitionem latet, quàm perſcrutando cognoſcit: & ubi glorioſè Chriſtus de cœlo deſcendit in Sacramentum auguſtum, panis intellectus di-

Eccli. 15. 3.
Ioan. 6. 58.

Haud poſſunt exorimi mirabilia Eucharistiæ.

citur, verùm ſuper intellectum ; quoniam humana ratio adhuc illuſtrata fide, tantùm poteſt intelligere, intelligere non poſſe.

7 Ulteriùs. Intellectui noſtro uſuvenit ingenioſè, inquietèque pro voto excogitare ſummum, & ultrà progredi varietate novarum mirabilium ſpecierum ; utrùm poſsit cogitatione acquirere, quod non poteſt cognitione. Aliquid excelſum cogitat ; ſed quaſi nil cogitaret ; quippe latet aliquid magis excelſum. Perſcrutatur, ſed non pervenit in ſummum. Cognoſcit miracula, & cognoſcit cognoſcibile ultra cognita, ita ut ulteriùs ſi poſſet, tranſiret intelligentia. Cur non tranſit? Quia non poteſt. Non comprehendit. Eſt ſacramentum intelligentiæ ſummæ ſupra ſummam humanæ intelligentiæ. Si acumen intellectionis humanæ Sacramenti Euchariſtici intelligeret prodigium; non eſſet fidei & cognitioni ſummum, Euchariſtiæ Sacramentum : diciturque panis intellectus cœleſtis cibus; quia intellectus ut comprehendat, plura cogitat:& ultra intellectum etiam divinum arcanum ſublimi cogitatione ; quippe cognoſcit plus eſſe, quod non poteſt cogitare. Tota potentia divini amoris manifeſta in gloria panis, cuius mirabilia perſcrutatur homo, verùm cadit intellectu. Ulteriora cognitis cogitat intelligentia, cæterùm quæ intelligit, cognoſcere non valet ulteriora : igitur inſigne commendans cœleſtem intellectionis panem, eſt quod panis intellectus ultra omnem intellectionem. *In captivitatem redigentes omnem intellectum*, inquit Paulus. Non tantùm intellectum, ſed omnem; quippe ad intelligentiam vel ſublimiori menti nullum acumen : equidem non ita percipit panis de cœlo deſcendentis excellentias intellectus liberi ſuperioritas, quàm intellectus captivitas; quoniam intelligentia in huiuſmodi plauſibilem gloriam, ultra ſublimiorem hominis intelligentiam.

Quomodò cœleſtis panis eſt panis intellectus, non intellectus?

2.Cor.20.3

8. Hoc enim intuitu liber erat cum Agno ſimul in beatitudinis throno. *Vidi* (ait Ioannes) *Agnum ſtantem, & in dextera ſedentis ſupra thronum librum*:igitur ſi Virgo liber ſignatus & Agnus Chriſtus; gloria Virginis in triumphum, plus quàm triumphus effulgurat ſacramentum. Perpendatur viſio. Liber erat ſignatus ſigillis ſeptem, indicans in numero chariſmatum multitudinem. Scriptus *intùs & foris*: equidem ſi quod foris, ſignat corpus, & gloriam animæ ab intùs; omnis gloria filiæ regis elucet ampla in huiuſmodi gloria: etenim ex virtute animæ glorificatæ gloria eximia etiam coruſcat in corpore. Gratijs uti liber intùs & foris ſcripta, quippe ad gloriam unita corpus & anima:ac in his extremis omnis gloria;ut gloriæ pateret ſummum, ubi tota cœli gloria ingrediebatur in cœlum. Aptiùs in propoſitum. Scriptus erat diverſitate gratiarum, ac etiam ſigillatus arcano inſigni virtutum : & quanvis ob privilegia & munera ſingularia, à circunſtantibus cunctis plauderetur ſcriptura; *Nemo poterat neque in cœlo, neque in terra aperire librum, neque reſpicere illum.* Hunccine librum eſſe Virginem-Matrem, Verbi Dei perfectiſsimum volumen, aſſerit Cyrillus Alex. Homil.6. *Contr. Neſtor.* Occurrit illicò graviſsimum argumentum, quippe Ioannes vidit in dextra ſedentis librum:quomodò videbat, quem nemo aſpicere quibat? Non ſtylus implicatus ſignat contradictionem, ſed gratiarum magnitudinem. Fulgebat Virgo glorioſa non tantùm in cœlo, ſed etiam in dextera ſedentis in throno, gaudens viſione beatificà,in qua ſumma & tota gloria. Deum intuitivè Virgo genitrix videbat: Ioannes ex viſione noverat : & adhuc illo vidente, nemo poterat reſpicere ; quia Ioannes viſionem vidit, ſed quid Virgo videret, non cognovit. Viſio in Virgine Deitatis ſupponitur; ſed non reſpicitur,quanvis à Ioanne videatur : igitur eius nequit adipiſci intellectio, ad quid in gloria extenditur Virginis viſio. Allicit intellectum in viſionem magnitudo viſionis : attamen excellentiam non videt defectu luminis:ſiquidem quantunvis ſublimiùs intelligentia volet, & gloria in gloriæ cognitionem illuminet ; latet idem quod videtur, quippe plus eſt quàm aſpicitur.

Apocal. 5. 1. 6.

Virgo in throno Filij.

Verſ. 3.

Maria Verbi perfectiſsimum volumen.

Non cadit ſub intellectu, quanta Virginis beatitudo.

9 Iccircò dicitur de ſtantibus, nec poſſe aperire librum, nec videre: equidem ſæpe myſteria cognitione videntur; ſed nequaquàm in plenam cognitionem aperiuntur. Cogitatur ab homine gloria Virginis, ſed non qualitas viſionis. A cogitatione videtur, verùm cogitatione non cognoſcitur : unde quanvis Ioannes gloriam Virginis videt, manifeſtare ſeu aperire non valet ; quoniam ſolummodò poteſt ex cognitione intelligere, Virginis gloriam intelligere non poſſe. Cognoſcit myſterium eſſe, & ignorat quod cognoſcit : igitur etſi gloriam percipiat intellectus à viſione illuminatus ; viſio divinitatis Virginis illuſtrans mentem, ſupereminet altiùs ultra omnem intellectionem.Liber nitet in dextra ſedentis, *ſcriptus intùs & foris*. Quod foris, viſioni occurrit, quod intùs, aſpectum latet: utroque modo Maria in cœleſtibus fulget:

Nequit intelligi.

&

& cognitioni obijcitur liber ſignatus, foris & intus ſcriptus ; quoniam etſi aliquid foris poteſt à mente videri, quod intùs, nequit cognoſci : ſiquidem intùs mirabiliter abſconditur, pluſquam in admirationem pro gloria videtur. Obſervandum ex viſione Ioannis, *liber ſignatus, ſcriptus intùs & foris.* Si liber ſigillatus, quorsùm foris ſcriptus? Sigillum utique literis imprimitur, ne legantur : quidùm munitio ſigillis,ſi literæ patent foris? Non legitur, quod in phyliris ſigno meditanter abſconditur: at poteſt legi, quod patet lumini : ut quid ergo dicitur, neminem poſſe aſpicere, nec aperire librum in lectionem, ubi forinſecùs caracteres acuebant fulgidè mentem? Exponam volupè. Foris liber ſcribitur, ut à legente videatur : intùs autem, ut ſcriptura à cognitione ſervetur. Eſt gloria ab intùs in libro Virginis, & etiam quæ gloria videtur foris : & quanvis Ioannes viderit gloriam exteriorem libri, affirmat tamen illam neminem poſſe videre ; quippe dum exterior plauditur, reſpectu gloriæ interioris, quaſi nihil videretur. Quod foris erat, ſigillari nequibat. Eſt gloria, quæ ab hominis cognitione legitur, & gloria quæ non cognoſcitur. Hæc intùs, foris illa in maieſtate tanta : diciturque non conſpectum,quod cognitioni foris erat ſcriptum; ut notetur in Virgine gloriæ maieſtas,& ſimul in homine cognitionis infirmitas : igitur intùs non facilè cognoſceret cumulum perfectæ felicitatis; ſi non videbat, vel quæ legebantur foris. Virginis gloria eſt ad intrà, & eſt ad extrà. Ad intrà tantùm legitur, à quo liber ſigillatur : ad extrà etiam inſignibus characteribus ſcribitur, verùm ab hominis cognitione non legitur : & etiam quod gloriæ foris, dicitur ſigillatum; quia ſuperat eximià magnitudine intellectum. Gloria in libro obſignatur, & ſimul foris literis aperitur. Foris literis in cognitionem humanam : quæ ita hebeſcit vel videns Virginis gloriam, ut amittat ex cognitione intellectum, quaſi foris in libro nihil ſcriptum.Perfectio viſionis ſcribitur, videtur ; ſed vel viſa non cognoſcitur,quia non dignoſcitur. Dignoſceretur profectò, ni luminis & gratiarum eſſet tanta magnitudo : Ioanneſque, qui librum in dextra ſedentis viderat (qua ſplendoribus micabat) neminem aſſerit poſſe aperire, nec videre ; quoniam nequibat perfectio cum perfectione cognoſci.

Nec cogitari.

Non perfectè videtur, etſi videatur.

10 Contingit acumini noſtræ debilitatæ, atque debilis mentis, erga viſionem gloriæ Virginis-Matris, quod viſum à Præcurſore, patente gloria in Salvatoris baptiſmate. *Aſcendit* Chriſtus de *aqua*, qua immerſa, ut pura emergeret, quæ ſumerſa ex labe prima Adami natura tota ; *& ecce aperti ſunt ei cœli.* Tota Trinitas aſtitit novo ſpectabili theatro, quo florebat,ut homo floreret novus homo : indicante gloriam animæ Chriſti, glorià ſparſa coram Ioanne, quam monſtrabant cœli aperti.

Matth.3.16

Surgenti manifeſta Dei præſentia claret.
Scinditur auricolor cœli ſeptemplicis æthra
Corporeamque gerens ſpeciem, deſcendit ab alto
Spiritus, aëream ſimulans ex nube columbam.
Tunc vox miſſa Dei longum per inane cucurrit:
Alloquitur : Te nate hodie per gaudia teſtor
Ex me progenitum : placet hæc mihi gloria prolis.

Iuvenc.

Accinit Iuvencus 1. de *Evangel. hiſt.* à v. 385. Salvatorem ſæculorum cognovit Ioannes, ut vidit ; & cùm gloriam videret, quem viderat non cognovit. *Ego neſciebam eum.* Unde igitur neſcientia in cognoſcentem irrepſit? Ioannes *teſtimonium perbibuit* : *Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum : & ego vidi.* Videbat, & ignorabat? Plura occurrunt diſcutienda in huiuſmodi gloria. Ex ipſa gloria Præcurſor cognoſcere poterat, quem videbat : quid ita ſummam intelligentiam demonſtrat ut ignorantiam ? Quomodò quem videt, neſcit? Quare cognitione non cognoſcit,coràm ignorans quaſi non videret ? Tanta copia radiorum lumen ademit ſplendori luminum. Gloria luce inundans mentem, ſuſpendit in cognoſcente intellectus facultatem. Unde cum ſuſpenſa intelligentià,etiam in cognoſcente ſit ignorantia ; neſcit Ioannes quem videndo cognoſcit,quoniam gloriam, quam videt, cognoſcendo non comprehendit.

Ioan.1.33.

Verſ. 32. & 34.

Gloria Salvatoris ineffabilis.

11 Inſuper. Ex gloria manifeſta Ioannes videbat, & videndo Deitatis viſionem cogitabat, qua Chriſtus potiebatur in gloria.Hanc viderat,ſed vere neſciebat, quippequàm vel illius gloriæ illuſtratus ſublimi lumine, neſciebat ſanè quid Chriſtus comprehenderet in viſione : at cum incomprehenſio luminis ſit neſcientia intellectionis; neſcit Ioannes in gloria quod cognoſcit: igitur quanvis in ſummum elevetur diſcurſus,elevatione ſumma amittitur intellectus. Nota diſcrimen viſionum, contextu Evangeliſtarum. In hoccine gloriæ theatro, atque

Ultra ambitum intellectionis.

Verſ. 34.

que

que mirabili articulo, Ioannes aſſerit gloriam ſe abſdubiè vidiſſe, *Ego vidi*: & teſtimonium perhibuit de viſione. Matthæus & Marcus aſſerunt, quòd Chriſti tantùm fuit viſio, ubi gloriæ in Iordane facta fuit manifeſtatio. *Statim aſcendens de aqua vidit cœlos apertos*. Duplex, & dupliciter fuit gloriæ in Iordane viſio, Salvatoris ſcilicèt & Ioannis: Chriſti divinæ eſſentiæ, Ioannis autem duntaxàt viſionis ex gloria Chriſti. Hinc intelligitur, Ioannem gloriam Chriſti vidiſſe, atque viſione ignoraſſe: igitur quanvis videbat ſciens gloriam Salvatoris, neſciebat quid Chriſtus noverat ex viſione Deitatis. *Ego neſciebam*, inquit. Non contrariatur cum ait: *Vidi, & teſtimonium perhibui, quia vidi Spiritum deſcendentem de cœlo*. Vidi gloriam externam, & Chriſtum vidiſſe gloriam, ſciſsis polis, & apertis cœlis: ſed gloriam viſionis Chriſti neſciebat intellectus; unde Spiritus-Sanctus deſcendit de cœlo in munus. Teſtimonium præſtat Ioannes, quòd Spiritus pro gloria Chriſti deſcendit: reliqua, eſtò patulis cœlis, Ioannes neſcivit: igitur dicere quid Chriſtus viderit, tendens in Deitatis intranabile lumen, ſolummodò & iurè ſpectat ad Deitatem. Proinde deſcenſus Spiritus quaſi cauſalis exponitur, etiam dum abſolutè à Præcurſore videtur. *Teſtimonium perhibuit, dicens: Quia vidi Spiritum. Quia* pro *Quòd*. Aptè, pro commendatione ineffabilis gloriæ: ſiquidem quid tunc in gloria Salvatoris viſio; haud dicere quibat cunctis maior hominibus homo. Neſcit, & videt. Ornatus ſingulares miratur, perfectio gloriæ à baptizante cognoſcitur. Scit, quippe aliquid percipit; attamen ratio cognitione non cognoſcit: & viſione gloriæ gloriam conſpectam neſciebat; quippe perfectionem gloriæ imperfectè etiam viſione cognoverat.

Marc. 1. 10. Matth. 3. 16

Tantùm Deo nota.

Verſ. 32. Quia *pro* Quòd.

12 Gloria nonnunquàm Salvatoris ſpeculum lucet claritudinis Matris. Aperiuntur cœli in Virginis gratiam, ut illa triumphans ingrediatur in gloriam. Ovationis gloria magna & admiratione plena, verùm etiam à videntibus dubia. *Quæ eſt iſta* (dicunt ſublimiores hominum intelligentiæ) *quæ progreditur* & Mater & Virgo in cœlum? Unde ergo dubium? Nonne inſignis claritate dotium, ſingularitate gratiarum, ac ornamento virtutum? Ipſæ fatentur. *Viderunt eam & beatiſsimam prædicaverunt*: etiam reginæ, in quibus ſumma virtutum, excellentiorem laudarunt: curnam ipſa progrediente, & ambigunt quod viderunt? Novum & ſingulare ſpectabile monſtratur, ubi Virgo in Empyrium dives ingreditur. Illa dicit:

Cantic. 5. 8. 9. 9. *Gratiæ Virginis.*

Placet hæc mihi gloria prolis. Iuvenc.

Reſpondetur à Trinitate tota muneri dignitatis: igitur eius gloria ab intùs, ut Filia Regis & Patris, Mater incarnati Filij, & ſimul Sponſa Spiritus Almi. Viderunt eam, ſed eius neſcierunt gloriam; quoniam gloria ingredientis in Olympum erat amplior quàm viderunt. Videbat Virgo Maria Patrem, Filium & Sponſum: hoc viderunt vidiſſe: at neſciunt quid de viſione; quoniam quid in divina eſſentia, ac Trinitate individua videat glorioſa Virgo, videre non valet vel laudantium intellectio. Neſcitur quod viſu plauditur; cognitione non cognoſcitur; ſiquidem plaudentes dicere non valent, etiam quod oculi vident. Virgo cognita exaltatur in gloria, & inquiritur, *Quæ eſt iſta*? Iurè: percipit intellectus ſcintillas aliquatenùs lucis, ſed illum fugit excellentia viſionis. Cognoſcit viſionem Deitatis eſſe ſuper omnem creaturam atque nullam perfectiùs videre gloriam: & quod cognoſcendo videt, pariter neſcit; quia perfectionem imperfectè cognoſcit: quandoquidem in viſione Deitatis, quò tendat, & mentem protrahat; ad Deitatem ſolummodò ſpectat. Quanvis perfectam cognitionem gloriæ Virginis intellectus haberet, neſciret adhuc, quippe plenè non cognoſceret: igitur cognoſceret ex non intelligentia, quòd intelligentià amplior eſſet Mariæ gloria. Reliqua vide *Tautolog*. 10. *Didaſc*. 1. Gratiarum patet cumulus, ubi ex cognitione ſine cognitione ſuſpenditur intellectus. *Quæ eſt iſta*? Præ illa neque in terris, neque in cœlis eſt alia. Nec habet ſimilem, nec habebit ſequentem: gloria namque debetur ſingularis, cui ſine ſimili gratia conceſſa virginis & genitricis. Unde intellectus humanus captivus ſubditur; ubi cognoſcens altiora, reverenter dedicatur. Aſtruit mentem Achilles Bochius *Symb*. 98.

Gloria reſpondet gratiæ.

Occulitur acumini ſublimiori.

Maior gloria, quò maior intelligentia.

Totius ingenij medijs infirma repentè
Lumina deficiunt conatibus, ægraque in ipſis
Caligant radijs, ut ſi quis fortè videndo
Tentet Apollineos demens comprehendere vultus.
Sic maieſtatem quiſquis ſcrutabitur, illum
Opprimet extemplò divinæ gloria lucis. Boch.

*** *** ***

DI-

DIDASCALIA III.

Munera ad dignitatem, minimè merita.

1 IN illos iurè vel culmina, quanvis non fulminant, tonant; quos honores nullà non arte, atque operà petiti diſcruciant. Sed quorsùm? Nonnunquàm potantes ſitiunt. *Quoſdam, cùm in ſummum ambitionis eniterentur, inter prima luctantes ætas reliquit: quoſdam, cùm in conſummationem dignitatis per mille indignitatis erepſiſſent, miſera ſubijt cogitatio* (ait Stoicus de *Vita beat*. cap. 19.) *ipſos laboraſſe in titulum ſepulchri: quorundam ultima ſenectus, dum in novas ſpes, ut iuventa diſponitur, inter conatus magnos & improbos, invalida deficit*. Hic eſt laboris honor, labor nimirum & labor, verùm dum favet fortuna, ſperare iuvat non ſperanda.

Labor ambitionis.

Senec.

At levis ambitio, perfuſaque gloria fuco. Ovid.

Ovidius inquit 1. *Faſt*. verſ. 309. igitur contenta levitate, ſibi plaudit duntaxàt de fuco gloriæ. Verùm unde, maximè in indignis, tanta ſitis, quaſi percuſiſſet dipſas, ſi micat celſitas? *Tanta eſt cæcitas mentium* (inſit Seneca *Epiſt*. 119.) *& tanta initiorum ſuorum unicuique, cùm proceſſit, oblivio*. Non reſpiciunt, qui ſunt, & unde venerint in culmen; ſed culmen duntaxàt ad quod venerint: ultràque concipitur ab ambitione proceſsio, quippe facilior aſcenſus ex aliquo, quàm ex nihilo: igitur non ita cæcæ fortunæ altiorem expectare ex meritis dignitatis, quàm primam dignitatem adipiſci ſine meritis. *Conſtituet te Dominus in caput & non in caudam: & eris ſemper ſupra, & non ſubter*: dicitur à Moyſe, obſervata à populo divinà lege. At occurrit inquirendum, cur oppoſitum additum, ſi ſuppoſitum? In caudam ſanè non erit, qui in caput electione conſtituitur; neque ſubter, qui ſuprà collocatur. Utique: verùm patet diſcrimen inter eum, quem conſtituit Dominus, vel elevat ambitus: caputque & cauda iunguntur, dum indigni à cæca ſorte elevantur; quippequàm ſæpeſæpius ut caput elevatur ad gloriam, qui meritis vel demeritis conſtitui debet in caudam.

Senec.

Deut. 28. 13.

Dignitatis dedecus, ubi primus qui noviſſimus.

2 Ulteriùs. Initia, etiam ab ipſis cognita, ſunt demerita ab ambitione fota, & à fortuna fauta. Non exigebant extolli, ſed iacêre. Surgunt, & elevari conantur in caput. In caput? Cæcitas patet mentium, & quia proceſſerunt, eſt oblivio principiorum: igitur ni proceſiſſent, elevari non auderent. Fatentur namque principium fortunam fuiſſe, ſed poſt fortunæ electionem etiam fortunam mereri; igitur habent meritum electionis, etſi electio ſine meritis: iurèque dicitur *ſuprà, & non ſubter*, dum merita aſſumuntur in dignitatem, ut eluceſcat indignorum malemerentium diſcrimen: ſiquidem ſubter eſt, quanvis ſit ſuprà, qui munera habita oſtenderit quaſi merita. Sibi quaſi de honore blanditur, ac infulis infatuatur; igitur habet dignitatis honorem, quem plerique vel cum meritis non habent. Ambitio non reſpicit in principium, ſed in progreſſum; quod quidem cæcitas mentis, atque lapſus ambitionis, tendentis deorsùm, ubi aſcenſio ſtruitur ſursùm: equidem cùm merita præſtent aſcenſum in dignitatem, ſignetque dignitas meritorum honorem; ambienti ſtolido videtur ex iure in cacumina proceſſus, quia ſemel in dignitatem vel à fortuna intromiſſus.

Ignominia, ſi munera quaſi merita.

3 Per veſtes olim deſignatæ dignitates, ut ſæpe dixi Tomis prioribus. Occurrit modò nuptialis & regia cœna, qua ambitioſi cuiuſdam perſtricta audacia. Nuptiæ ergo ſunt inſtitutæ; & ſervi, ut invitatos ad convivium vocarent, à rege miſsi: ſiquidem ſemper ſuſpecti ad dignitatis regimen, qui non vocati veniunt in dignitatem. Vocati multi ſunt, ſed evanuit vocationis ſpes: quid non invitati & introducti, ſi peſsimi inveniuntur qui vocati? *Miſit ſervos vocare invitatos*. Non deſideraretur ab ambitioſo officij huiuſce defectus: quandoquidem intromittitur, etſi à nemine vocetur. Qui in cœnam atque nuptias invitati, *nolebant venire*. Quod videtur primo aſpectu inurbanitas illiberalis, eſt ſine dubio altum conſilium prudentiæ: equidem cum honores magis pateant ad ruinam, quàm ad gloriam; ne exponerentur ruinæ ſplendoris ſpecie, noluerunt prudenter in dignitatem venire, quanvis vocati: ſiquidem ſemper veniunt in præcipitium, qui veniunt. Veniunt qui indigni, ab ambitione perciti: aſſumuntur, qui meritis inſtructi, quos dotes eligentes illuſtrant, quanvis non veniant: comprobatur utique ex progreſſus actione ambitus incapacitas, dum micat dignitas: igitur cùm abſint merita, quæ ambitioſos commendent: in honorem minimè aſſumerentur, ni venirent. *Nolebant venire*, & etiam vo-

Veſtis ſignũ dignitatis.

Matth. 22. 3

Intromittitur ambitioſus non vocatus.

Electio optima non venientium, ſed renuentium munera.